

mora semivivi: qui forte viverent, si potuissent per ipsa nemora reperiri. Castrum Valcortese et aliud Orgiale dictum, petentibus fugam vite dedere suffragium, et florentinorum similiter labor immensus, et dies qui iam inceperat inclinare. Duravit enim bellum fortissimum valde per diei partem quasi per dimidiam; militibus trecentis qui aderant urbevetanis cum senensibus ex adverso pugnantibus potentissime: et sunt evulsa temptoria et omnia rapta ad exercitum pertinentia. Milites peditesque sunt capti mille ducenti seu circa, et plures ex utraque parte mortui, quidam graviter vulnerati. Audaces vero quidam florentini, cum essent inimicos fugando graviter fessi, predictorum castrorum inconsulte ripas ascendentes, luctuosam reportaverunt victoriam. In reversione vero per silvam sunt armis proiectis in fugam florentini repleti; quoniam utilius erat deferentibus ipsa eos fugere nudos, quam indutos armis vel aliquibus indumentis. Cum autem iam advesperasceret et deficerent quasi penitus inimici, sunt ad castra florentini reversi, militum centurionem invenientes et aciem suam et peditum honorabilem gregem statutorum pro custodia carrocii stantium circa Monsaltum, quia non potuerunt interesse gestis, super se ipsos fortiter murmurantium. Habitatores cuius castri et ceteri qui aderant pro custodia, super infortunio flentes, vitam carceratam humiliter postulaverunt. Omittere tamen nolo que, licet non viderim, stans in eodem exercitu intellexi; quod mulieres a longe venientes immoderate plorabant, querentes corpora maritorum, et unum querens revolvebat plurima, suum desiderans invenire. Clamabant omnes indistincte flentes, et cum esset alterata forma, vix aliqua earum maritum poterat recognoscere. Recedebant enim dolentes, relictis corporibus non sepultis et quibusdam sine vulnere semivivis, qui defecerunt in fuga, cum deficeret debilitate spiritus pro labore: et blasphemantes civitatem, maledicebant ei.

Destructum est enim predictum castrum Monsaltum, et recesserunt florentini lucrosam victoriam reportantes. Anno millesimo ducentesimo septimo, mense iunii. Unde versus:

Est factum planum Mons altum nomine vanum.

Item versus:

M. C. C. VII domini comprehenderat annos.

Tempore, cum misere succubuerunt Senae.

Mensis erat Iunius, indictio dena, kalendas

Iunii (1) precedens tunc duodena dies (2).

Nam qui sunt soliti vi debellare superbos,

Hii virtute sua perdomuere Senas.

Multa prius passi, que demens illa senensis

Urbs perpetrarat intuleratque diu.

Iam florentini stultos punire volentes,

Cum proprio curru vi petiere Senas.

(1) Così nel codice, ma deve dire Iulii.

(2) L' *Obitorium Ecclesiae Senensis* già citato, pone questo fatto sotto il 22 di giugno del detto anno, e dice che con i florentini erano il Conte Guido, i Lombardi, i Romagnoli, e gli Aretini; e con i Senesi il Conte Aldobrandino da S. Fiora, e gli Orvietani.